



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

X. Naufragium Magdalенаe è lacrymis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Quanta Palæstinis passim contagia campis
 Spargit, ouans toruis sibila silua comis?
 Heu! vbi qui sæuos sua vincat ad arma dracones,
 Quæque draconigeno nata venena satu?
 Magdalis anguicomam sibi si parit aspra Me-
 dusam;
 Bellerophontæus nunc Amor vltor erit.

X.

*Naufragium MAGDALENÆ
 è lacrymis.*

DVM nimis acclinas caput in vestigia
 CHRISTI;
 Te dolor hausit aquis, naufraga tota peris.
 Te tristi exitio vis damnat aquosa doloris.
 Quid? dolor his peccat, queis probra purgat,
 aquis?
 Ergo nouum scelus est Merancea, vel improbus
 error?
 Hæc pia si peccat, spes vbi pacis erit?

Amor sanctus respondet.

CREDE mihi, his facies non vna relucet
 in vndis;
 Sed bicolore biceps dissecat vmbra notâ.
 En amor hic, odiumque tui natat impate vultu,
 Dissonaque in fluctu dispare bella tonant.
 Sollicitosque cient alternâ sorte tumultus,
 Hinc amor, hinc odium: par quibus orta salus.
 Magdalin istud amat odium verso ordine rerum;
 Egregioque odio Magdalin odit amor.
 Quæ dū ritè paris, perdis benè naufraga mundū:

Mersa simul mundo vis moriente mori.
Exitium felix! meruit mors ista salutem.
Ah! nisi quis pereat sic semel, vsque perit!

X I.

*Oculi MAGDALENÆ gemina
pœnitentiæ sidera.*

QVÆ mundus piceo fuscavit lumina velo,
Purus inauratâ nunc face lustrat Amor.
En in Amore duces oculi sine nube, vel umbrâ,
Cœlite iam signant luce salutis iter.
Quod si quando sacro sibi quarat in æquore
portum,
Et vehat in lacrymis dux Metancea ratem;
Prouida Diua fugam gemino quo dirigat astro,
Hic Vrsa, hinc Helice, conscia signa regent.

X I I.

Dulces lacrymæ MAGDALENÆ.

QVEIS sine labe nitor puris pellucet in vndis,
Perspicuas oculo Magdala rorat aquas.
His pretium non vile, decus sed charius auro,
Et sapor in pretio diuite rarus habet.
Nam lego tot gemmas, quot flens dat Magdala
guttas:
Quorûque lego gemmas, tot quoq; libo fauos.
I Cleopatra, tuas baccas bibe pauper aceto:
Diuite de lacrymâ gemmea mulsâ bibam.

Lacty-